[illegible] de 31 [illegible]
[illegible] tantos capitulos [illegible]
[illegible] de [illegible]
[illegible] en la [illegible]
[illegible] del [illegible] 1612
al 1773 [illegible]
[illegible]

Este libro usado
FUE DESINFECTADO
para su venta

ESTE MARBETE DEBE SER
[DE]STRUIDO POR EL COMPRADOR

JC6
18-327

# ACTA
# CAPITULI
# PROVINCIALIS,

A MEXICEA S. JACOBI EPARCHIA habiti, ac celebrati in Imperiali S. P. N. DOMINICI IPSIUS CœNOBIO Sub R. adm. P. N. PRÆSENTATO

## F. RAYMUNDO SEQUERA,

bona pace, communique omnium ſuffragantium jubilo, ac conſenſu, necnon cunctorum intra, ac extra hilaritate, Provinciale jure culmen ſcandente. Die 22. Maii, Anni Dñi M.DCC.LVI.

*CUM IPSO INSIMUL DEFFINIENTIBUS R. R. adm. P. P. N. N. F. Franciſco Larrea, Magiſtro, ac Sti. Officii Qualificatore, pro natis in Hiſpania primo Deffinitore: F. Joſepho Dominico de Soſſa, Magiſtro, pro Regia Univerſitate Theologo Doctore, in eaque A. N. M. Exedræ Moderatore, & Tertii Ordinis de Pœnitentia Magiſtro Directore, pro natis in Indiis ſecundo Deffinitore: F. Joanne Zevallos, & Villagutierre, in Sacra Theologia Præſentato, N. que Conventus S. P N. Dominici de Oaxtepec Priore, tertio pro natis in Indiis Deffinitore: F. Petro Garrido in Sac. Theologia Præſentato, ac Conventus noſtri Aſſumptionis B Virginis MARIÆ de Amecamecam Priore, quarto ex natis in Hiſpania Deffinitore.*

MEXICI: Ex-Sacrorum Librorum Typographia, apud Heredes Dominæ Mariæ de Rivera.

RPJCB

✠

# *IN NOMINE*

## *SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Almæque Virginis Matris, Sanctiſſimi necnon Patris N. DOMINICI, ac cunctorum Cœlitum. Amen.*

## *ABSOLUTIONES.*

*Abſolvimus in primis omnes Conventuum Suppriores, atque Vicarios Domorum hujus noſtræ Provinciæ.*

## *DENUNTIATIONES.*

DEnuntiamus (haud parva pœna perculſi, utpotè tanto orbi Parente) Provincialis Præfecturæ munus metam pertigiſſe, hujus noſtræ almæ Jacobeæ Eparchiæ Provinciali expleto Officio, ac ab eo poſt quadriennium abſoluto R adm. P. N. F. Antonio Claudio de Villegas in Sacra Theologia Magiſtro, Stæ. Inquiſitionis Qualificatore, Novæ-Galleciæ Epiſcopatus Examinatore Synodale, ac R. R. P. P. M. M. Generalis, & Vicarii Generalis Procuratore, & Collectore. Permagno quippè dolore, id venit nobis denuntiandum: propterea, quod Maximo Patre ſepta fuerat antea Provincia, ac ſtipata, qui Religioſa prudentia, eximia charitate, rara providentia, probis, laudabilibus moribus, ſtudiorum zelo, ac Divini cultus ſtudio, voto, & re, fuerit ſic ſemper cumulatus, ut nedum nos ægrè ferre accidat, ne ipſum Provinciam regere per ævum, verum & id ſit moleſtum civibus cunctis, viriſque Principibus hujus Civitatis, quin etiam Eccleſiæ, ac ſæculi Proceribus ſæpe ſæpius rogantibus, idque peroptantibus avidis; num fieri poſſet eum virum tantis præpollentem dotibus, iterum eligi Provincialem. Meritò ſanè tanto fuit ipſe proclamatus plauſu, publicaque, ac extera voce laudatus, ac deſideratus, qui præterquamquod eximio amore nobis præfecerit, tantaque erga omnes intra, ac extra, genii lenitate, cuncta corda alliciente, ſe geſſerit; egregiis ipſius operibus, de ejus ipſe magnanimitate, ac Religioſitate, quin & ſcientia, conſpicuum, tribuat teſtimonium. Hæc equidem, hoc ordine, ſunt bono communi accomodatiſsima, aptiſsima, ac notiſsima. Quinque ad Miſſas ſolemnes celebrandas ſolemnitèr, pretioſiſsima, integra, ac viſu digna, effecit ornamenta, præter alia ad Miſſas particulares pari forma, ac decore, quæ exibuit, tribus cum Albis ſpecioſis, & pulchris. Magnificum Adytum, ſeu Sacrarium ex terſo chryſtallo, ac argento puro congeſtum, quod Eccleſiæ appoſuit, in eoque ipſi

ipſi majus, quo ea gaudet, ornamentum. Alterum Adytum ſimul argenteum ab eo fuit Capitulo additum. Quatuor, pro Miſsis cantandis, argenteos ceroferarios, pulvinarque, ex argento, ac pretioſo ligno conflatum, ædificavit. Lampades duas argenteas, maximam libras quadraginta appendentem, minoremque quindecim, conſtruxit. Quæ decem Eccleſiæ columnas eam ſubſtant, ditiſsimis induit cortinis. Formoſum tapetium Presbyterio adſcripſit. Eccleſiam ſui ipſius, & negotio, hortatu, & expenſis pluſquam mille ſcutis (vulgo peſos) conſecrare dignatus eſt Illmus, ac Rmus. D. M. D. Fr. Franciſcus Pallàs Epiſcopus Synopolitanus, ac Vicarius Apoſtolicus Provinciæ de Fokien die 23. Januarii, anni 1754. Eamdem Eccleſiam variis jam ruinis obſeſſam, ne ea, in deterius currens, rueret, quaquaverſus reparavit. Aulam *De profundis*, ſic erexit mirificam, ut ea nulla melior in hac Civitate videatur. Scalam inibi magnam ad Conventum, condidit belliſsimam, paritèrque clauſtrum, ſeorſum, deorſumque affabrè, & funditus poſuit, ipſum lectiſsimè ornans variis totam artem picturis continentibus, quorumcumque, viſum, & ſubripientibus pulcbritudinis vi, & oblectantibus valdè: miram oſtendentibus SS. P. N Dominici de Guzman vitæ hiſtoriam. In hujus medio (clauſtri ſcilicèt imi) permagnum fecit fabricari fontem, quem idem Illmus. Dñus ſupramemoratus, mirando tanto motus artefacto benedixit ſolemnitèr, â ſua itidem Paternit. adm. R. effuſis precibus ad id. Gymnaſia inibi tria valdè bona ſtatuit, alterum pro Grammatica ſæcularibus imbuendis tyronibus, alterum pro Philoſophia noſtris legenda, ac tertium pro Theologia edocenda, publiciſque habendis concluſionibus. Hoc nimis ſpectabile eſt diverſimodè, & picturis, & ſedibus diſtinctum ex pretioſiſsimis lignis effectis. In ſuperno Clauſtro, ac alibi duodecim per eum ſunt cellæ accommodatiſsimæ Præſulibus, atque Magiſtris Octo turri campanas, ex hiſque maximam, ac ex melioribus hujus urbis impoſuit, aliamque parvam, quam N. Pontificio de Porta-Cœli Collegio elargitus eſt, cui etiam opera Natalis Alexandri. Sacriſtiam, Aulamque Capituli hujus magni Cœnobii jam jam elapſuras, ne peſſumdarentur, perfecit. Aulam ad Bibliothecam, aliaque quam plura formavit. Ac denique N. Rmo de Bremond juſta feralia perſolvit mille, penè, ſcutis, aut peſos, expenſis. Propterea, igitur, mæſtitia Nos capti denuntiamus: jam Nos orbatos eſſe tanto Parente. Verum D. O. M. qui diſponit omnia ſuavitèr, fecit, ut triſtitia noſtra verteretur in gaudium: dum die 22 Maii, anni Domini 1756. jam de more, & jure vocales convocati à Dominica in Septuageſima, per ſonitum campanullæ in Capitulo congregati cum Præſide R. adm P. N. F. Joſepho Larrimbe, in Sacra Theologia Magiſtro, Regia pro Univerſitate Theologica infula redimito, Sanctæ Inquiſitionis Qualificat. quondam, & bis, hujus Eparchiæ Priore Provinciali, ac modò iſtius Imperialis Cœnobii Priore, tanti viri ſucceſſorem perdignum, qui æque Provinciæ Præſulatus locum oppleat, juremeritò, omnium grato conſenſu, elegerunt R. adm P. F. Raymundum Sequera, in Sacra Theologia Præſentatum Id non ſolum ſuffragantibus jucundum, nec tantum Nos hilareſcens, verum & univerſæ urbi placens, Principibuſque, & Eccleſiaſtico, & Sæculari acceptiſsimum. Cui meritiſsimo P. N. P. P omnes ſubnixè, utpotè rite electo obedientiam præſtitimus, ac ejus electionem, qualitèr Canonicam, â Rmo. P. N. Gen. confirmari, ſupplicitèr efflagitamus.

De-

2 Denuntiamus: die 5. Junii, anni 1753 litteras nos patentes ſuſcepiſſe à Rmo. P. N. G die 20. Nov. emiſſas, anni 1752 R. P. P. Sti. Officii Qualificatorem, ac pro Romana, & Matritenſi Curia Procuratorem, Capitulique Gen. electum Deffinitorem F. Franciſcum Larrea, titulo lectionis, ac pro natis in Hiſpania Magiſtrum evehentes in locum vacantem ob mortem R. adm. P. M. F. Joſephi de Arzeniega ex natis in Indiis.

3 Denuntiamus: die 7. Nov. ann. qui ſupra, Rmum P. N. M. Gener. litteras patentes ad Nos ſcripſiſſe, in quibus die 3 Julii, anni 1753 alacri animo, ac cordis ingenti exultatione conſpeximus, ſuæ Rmæ. P. confirmationem Capituli Provincialis die 6. Maii habiti in hac noſtra Provincia, anni 1752. R. adm. P. N. M F. Antonium Claudium de Villegas ipſius P. Prov. eligentis.

4 Denuntiamus: die 18. Septembris, anni prædicti, encyclicam epiſtolam ſub die datam 10. Maii, anni 1753. N. Rmi. juſſu exaratam, Nos ineffabili gaudio legiſſe, qua ad majorem Dei gloriam, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis, percenſet B. P. N. Benedictum XIV. (quem Deus proſpere tueatur) SS. numero adſcripſiſſe B. Joannem de Liccio, N. S. O. Sacerd. Profeſſum.

5 Denuntiamus: eadem die, menſe, & anno ad Nos fauſtè perveniſſe decretum à Sacra Rituum Congregatione editum die 25. Aprilis, anni 1753. ſuper cultum ab immemorabili tempore, prælati B Joann. de Liccio Cum ipſoque Decreto, aliud à Bmo. P. N. Benedicto XIV. Pont Max. die exhibitum 9. Maii ipſius anni, cum Oratione propria allati B Joann. conceſſum, ut ſingulis annis, die, qua ejuſdem Beati commemoratio peragitur, in univerſo Ordine Prædicatorum, & in Civitate, ac Diœceſi Panormi, ubi dictus Beati obdormivit in Domino, ac Sacrum ſui Corpus quieſcit, Officium, & Miſſa de communi Confeſſoris, non Pontificis, ſub ritu duplicis minoris cum ſupraſcripta Oratione, ab omnibus utriuſque ſexus, qui ad Horas Canonicas tenentur recitari, & reſpectivè celebrari poſsit, & valeat.

6 Denuntiamus: die 26 Junii, anni 1754. litteras á N. Rmo. expeditas die 28 Nov. anni 1753. noſtro fuiſſe obtuti oblatas, Acta præcedentis Capituli Prov. confirmantes. Cujus harum acceptationis, ac confirmationis, adhuc grati manemus, eiſque cum præceptis, & ordinationibus, obtemperavimus ſupplices, obtemperari decrevimus, ac ea exequtioni præſtitimus.

7 Denuntiamus: ipſa die, ejuſdem menſis, ac anni litteras alias, ſub die, qua ſupernè, Nos legiſſe, queis N Rms. R. P. P. G. F. Joannem Palmeros á reſidentia relevat Conv. S. Roſæ de Sombrerete, pro quo P. Gen. exiſtit: eo quod ægritudinibus vexatus (ut in ante actis expoſuimus) ad id indupediatur, ipſi ut alibi commorari liceat, ubi valetudine polleat, indulgens, abſque eo, quod id ei, ut ipſe gaudeat voce in Capitulis Prov. cæteriſque gratiis, ac privilegiis, quibus Præd. Gen. actu reſidentes in Conventibus, pro queis tales exiſtunt, potiuntur, obſtet His etiam alteras accepimus litteras patentes injunctas die, menſe, ac anno, eodem Romæ datas, queis N. R. ad Magiſterii gradus (juſtitiæ expoſcente ratione) aſſumpſit R P. P F. Petrum Dorado Prædicationis titulo, ex natis in Hiſpania in locum vacantem ob mortem R. adm P M. F. Joannis Baptiſtæ Soriano, R. P. P. Theologum, D &c F. Joſephum Dominicum de Soſſa ex natis in Indiis, tituloque Lectionis, in locum vacantem ob mortem R. adm. P M. F. Stephani Navarro, pro eodem titulo ex natis in Hiſpania, R. P. P. F. Felicem Sanchez in locum vacantem ob mortem R. adm.

adm. P. M. F. Bernardi de Eſpinoſa, pro ipſoque itidem titulo, eiſdemque natis R. P. P. Doct. Theologum F. Michaëlem Rodriguez, in locum vacantem ob mortem R. adm. P. M. Theol. D. &c. F. Emmanuelis Romualdi Dallo.

8 Denuntiamus: hac item die ipſius menſis, ac anni, patentes litteras in eo die, menſe, ac anno, quo nuper à N. Rmo. ſcriptas ad Nos perveniſſe ad Præſentaturæ gradus promoventes, 1. R. P. P. G. F. Raymundum Sequera (in præſentiarum digniſsimum P. Prov. electum) ex natis in Hiſpania in locum vacantem ob aſcenſum ad Magiſterium R. P. P. F. Petri Dorado, 2. R. P. P. G. (præſentis Capituli Deffinit.) F. Petrum Garrido, pro inibi natis in locum vacantem ob mortem R. adm. P. N. P. P. P. F. Emmanuelis Ximenez de Ziſneros, 3. pro eiſdem natis titulo Lectionis, R. P. Lect. F. Petrum de Yriarte, in locum vacantem ob mortem R. P. P. F. Joſephi Alcalà Quibus, & ad Prædicaturæ Gen. honorem alias adſcribimus receptas, aſſumentes pro natis in Hiſpania R. P. F. Joannem Garcia in locum vacantem ob aſcenſum ad Præſentaturam R. P. P. G. F. Petri Garrido.

9 Denuntiamus: quod æquè hac eadem die, menſ. ac ann. aliæ N. Rmi. litteræ nobis fuere objectæ Angelicæ Militiæ Eccleſiæ Ducis D. Thom congregationem in hoc Imperiali Cœnobio erigentes. Alteræque ad Sacrum Tertium Ordinem de Pœnitentia in Oppido Sancti Michaëlis (dicti magni) fundandum.

10 Denuntiamus: 10. die menſ. Martii ann. 1755. Præſentaturæ gradum litteras patentes ſub die dat. 14. Aug. ann. 1754. conferentes Nos reſpexiſſe, R. P. P. G. F. Emmanuelem Zevallos ex natis in Indiis in locum vacantem ob mortem R. P. P. F. Joſephi Pizeros.

11 Denuntiamus: 15. die, menſ. ac ann. præcedentium, lætiſsime Nos litteras celebraſſe lectas, quibus nobis Rms. P. N. G. notum facit cultum Btæ. Joannæ Urbæ Vetanæ N. O. hiſque alias conſpeximus litteras patentes Rmi. N. concedentes: Conventum NN. Religioſos in oppido (vocatum Freſnillo) pro hac Provincia fundare.

12 Ingenti cordis dolore, acerba pœna, animi anxietate, pluſque lachrymarum fluentis, quam calamo, denuntiamus: dolentiſsimè nos lugubres eas, ac lamentabiles litteras infauſta die 25 Octobr. ann. infortunati 1755. ſuſcepiſſe, die 25. Junii ipſius anni ad Nos ſcriptas per Rmum P. N. Vic. Gen. F. Vincentium Mariam Ferreti, quibus ipſe nobis id annuntiat, noſtrorum omnium corda torquens acerbè, lamentabilem, ſubitaneam, ac deplorabilem totius Ordinis Prædicat. jacturam, ob flebilem, ac miſerrimum Rmi P. N. Gen. F. Antonini Bremond obitum triſtiſsimum. Cujus perenni dolore percita hæc Alma Provincia, juſſu, ac expenſis paritèr R. adm. P. N. M. F. Antonii Claudii de Villegas, tunc ipſius P. Prov. ſolemniſsimas ſolvit exequias tanti viri pios manes parentantes dieb. 10 & 11. Mart ann. 1756. Ea quippè laudanda mœſtiſsima celebritate, ut poſtquam præfatus R. adm. de Villegas magnificum erexit cenotaphium, ita tota arte congeſtum, ut pro ipſius ſtructura longum temporis ſpatium exigente, non antea funus fieri poſſet, datis duobus dieb. mirê omnibus nota fuerit, & Provinciæ anguſtia, & ſuæ Paternit. adm. Rdæ magnanimitas. Quod videre eſt in opuſculo, ſuis expenſis typis dato, titulo: *Mercurio Religioſo.*

De-

5

13 Denuntiamus: quod die 29. Mart. ann. 1756. N. R. P. V. G. epiſtolam pro comitiis Generalib. convocatoriam ſuſcepimus. Unàque litteras patentes die 27. Septemb. exaratas ann. 1755. in Sacra Theolog. Præſ. titulo Lection. & pro natis in Indiis ſtatuentes R. P. Ex-Lect. F. Nicolaum Troncoſo, in locum vacantem ob mortem R. P. P. F. Franciſci Secundi Guerrero. Alteraſque paritèr cum his, litteras habuimus patentes, die, menſ. ac ann. eiſdem. Prædic. Gen. pro natis quoque in Indiis provehentes R. P. F. Petrum de Sotomayor, in locum vacantem ob aſcenſum ad Præſentat. R. P. P. G. F. Emmanuelis Zevallos.

14 Denuntiamus: in præcedentis Capituli quadriennio 7 Parochias, ad hanc Provinciam attinentes, ab ea fuiſſe per Regias Scedulas, ablatas, videlicèt, Conv. S. Joannis Baptiſtæ de Coyoacan. Dom. SS. N. Proto-Par. Auguſtini de Palpan, Dom. S. P. N. Dominici de Mitzcoatl, Dom. S. Hyacinti, Dom. B. Virg. Mariæ de Coatepec, Dom. S. Petri Apoſtoli de Tlahuac, ac Dom. Aſſumpt. B. Mariæ Virg. de Yautepec. Ultra quas, etiam Parochia in hoc Imperiali Cœnob. fundata, fuit penitus extincta.

15 Denuntiamus: quod die 26. Maii currentis anni, poſt celebrationem Capituli, citatis Vocalibus (jure ſervato) proceſsimus ad Canonicè eligendum pro Capitulo Gen. Deffinitorem, ac inſimul pro Romana, Matritenſique Curia Procuratorem ad hujus Prov. pertractanda negotia. Qua facta per vota ſecreta electione, invenimus ritè omnibus ſufragiis electum, ad ea munera ſubeunda R. adm. P. M. F. Joſephum Dominicum de Soſſa Doct. Theologo, Stæ Inquiſit. Qualifi. A. N. M. Exedræ Moderat. ac Tertii Ordinis de Pœnit. Mag. Direct. Quem ſatis hiſce muneribus, aliiſque utilem noſcimus; atque eò talem in eum factam electionem approbari, ac confirmari petimus humilitèr à N. Rmo. P.

16 Denuntiamus, & ultimò: quod Illmi. Compoſtellani D. M. D. D. F. Antonii Monroy, quondam totius N. Ord. Gen. M. ordinationis memores, ac ei obſecundantes, publica edicta, omnibus patentia fiximus ſuper R. adm. P. N. M. Stæ Inquiſit. Qualifi. Guadalaxarenſ. Epiſc. Exam. Synodal. R. R. P. P. M. M. Gen. ac V. G. Proc. & Collect. ac ex-Prov. F. Antonii Claudii de Villegas actis, ac geſtis. Qui coram nobis comparuit Deffinientibus, ut libros, & ſui temporis copias judicaremus, circa quæ æquitatem integrè ſequentem, rationem redidit, juſtè, diligentèrque à Nobis fuit repertum, & ipſum abs alicujus quærellæ parcimonia Præſulatum tuliſſe, & numiſmata ab eo recepta optimè expenſa, ut ſatius patet in 1. denunt. De quibus Deo dignè gratias agimus.

## ORDINATIONES.

1 CUM maximè regulari diſciplinæ expedire, ſit nobis viſum, quæ ſingula, & omnia in proximè ante Actis fuerunt ordinata, atque à Rmo. N. P. Gen. confirmata, & præcepta; ordinamus, & mandamus, eaſdem ordinationes iterantes, eas noſtros exequi inviolabilitèr; prout in prædictis Actis habentur, confirmantur, & præcipiuntur à Rmo. N. (immortalis memoriæ) P. G. de Bremond, & prout R. adm. P. N. M. Ex-Prov. F. Antonius Claudius de Villegas eis, vi, & vigore notis, præſtitit obedientiam, & tradidit exequtionem.

2 Or-

2 Ordinamus, & mandamus (magnis ex Deiparæ propter id benignitate, & auſpicio, expertis in hac Prov. ac in toto orbe beneficijs) in omnibus noſtratum Conventibus, ac Domibus, omnes noſtros Religioſos quotidie in communi aggerari, ut Bmæ. Virg. Mariæ Pſalterium, ipſi recitent devotè, ac reverentèr. Quod: ſi fortè, ex his acciderit ægrotari quemquam, ita ut ne poſsit id in communi facere: in ſua Cella volumus, & ordinamus hac SSma. ſaluberrimaque devotione, Virginem Matrem laudare.

## SVPPLICATIONES.

1 QUAM jam, abjectè, in ante Actis præcedentis Cap. ſupplicationem humiles fecimus Rmo P. N. G. de Bremond æqualitatem graduum pro natis in Hiſpania, & pro natis in Indiis decernenti inviolabilem, penituſque perantiquum indultum damnanti, quod deficientibus ex una natione hujuſmodi gradus promerentibus, ex alia ad eos aſſumendos, acciperentur, his idonei, concedens; admiſsè iteramus, N. Rmo. P. G. petentes, quamquam prædictus Rmus. de Bremond, noſtræ ſupplicationi, non annuerit, potiuſque eam repulerit, ut ipſe eam benignè exaudiat, piis auribus percipiat, & nobis miſericors indulgeat Dummodo, & plurimi ex natis in Indiis meritiſsimi aggregati adſint plurimis litteralibus laboribus cummulati, nulloque præmio aucti, cum & jure id petant, ut legere eſt in poſtulationibus præſentis, ac præcedentis Capituli, & magnam vim habeat prædictum indultum á N. Rmo. P. M. G. F. Thoma Turco huic Prov. conceſſum in Epiſtola ſua Paſtorali ſub die 25. Junii, anni 1644. edita, quæ ita ſe habet: ,, Quo ad gradus in ordine, & dignitates nullo modo in po-
,, ſterum habeatur ratio nationum, aut alternativæ, vacante loco alicujus
,, nationis, & alias pro illa tali natione, pro illo tunc nullus fuerit, qui ha-
,, beat omnia omninò requiſita, ſed præciſſè habeatur ratio meritorum, & la-
,, borum, ita ut abſque ulla acceptione nationum, aut perſonarum, illi ſoli
,, ad gradus proponantur, qui cæteris reperti fuerint magis idonei, habuerint-
,, que omnia requiſita juxta conſtitutiones noſtras pro gradu, & forma le-
,, gendo, ne ex coarctatione ad nationes, indigni dignioribus præferantur, ut
,, fieri ſolet, dum ſæpe plures, qui multis annis in docendo laborarunt, & me-
,, ritis prævalent, defectu vacantis pro una natione, poſtponantur iis, qui ſunt
,, alterius nationis, & interdum vix Theologiam, vel extremis labiis deliba-
,, runt, quod juſtitiæ diſtributivæ directè repugnat; dum vero poſtmodum
,, contigerit illam nationem habere perſonas capaces, illæ, & non aliæ ſupple-
,, bunt prima loca vacantia. Nec petitiones ad gradus aliter fiant, quam pro
,, ut ordinatum fuit in Capitulo Gen. Romano ultimo 1629. Ordinat 18.
,, alias totum erit irritum, & inane, iis dumtaxat exceptis, & pro hac vice
,, tantum, qui in hoc noſtro Capit. Generalif. Romæ celebrato 1644 promo-
ti ſunt, pro quibus Auctoritate Apoſtolica omnes defectus ſuppleti fuerunt. Hactenus piiſsimè. juſtitia ſervata Rmus. P. Gen. Turcus. Etſi ſeduló perpendantur ea verba: ,, Et alias pro illa tali natione, pro illo tunc nullus fue-
,, rit, qui habeat omnia omnino requiſita, &c. Maxime Nobis eſt viſum natis in Indiis prædictam ordinationem favere: propter ea quod in præſentiarum, ni tribus demptis ex natis in Hiſpania, omnes qui egregie in lectionibus, Di-

ſputa-

ſputationibus, aſsiduiſque concionibus inſudant, ex natis in Indiis abs ſertis adipiſcendis adſtant. In quorum premii auxilium Rmo. P. N. Gen. repræſentationes facimus, quæ in Cap. Prov. ann. 1725. & in præcedenti, factæ ab hac Prov. fuere; â ſua Rmâ. Paternit. expectantes, quod juſtè intendimus, ſupplicesque petimus, aſſequi.

2. Cum R. P. Lect. F. Emmanuel de la Vega, Conv. N. Ss. Apoſtolorum Petri, & Pauli Civitatis Queretarenſis Prior, & Vicar. Prov. per unius anni, menſiumque prope quinque ſpatium, antequam quidquam ageret de Philoſophica Lectura, ſtudentium Magiſt. in N. Pontif. Colſegio de Porta-Cœli extiterit, quod tempus ad abſolvendam totam ipſius Lecturam deeſt illi, N. Rmo. P. ſupplicamus, ut prædictum tempus ei computet, pro quo deficit, ad gradus poſtulationem, & collationem.

3. Supplices nobis, rectis moti cauſis, rei ſibi conceſsionem pollicentes, ob N. Rmi. P. eximiam pietatem, contenderunt: huic N. Prov. Filii ejus adſcribi R. P. F. Joannes â Cruce Provinciæ Beticæ S. P. N. Dominici Profeſſus, pro Prov. Smi. Roſarij in Inſulis Philippinis Prædic. Gen. ac quondam in Indiis Orientalibus Miſsionarius, PP. Fr. Joſephus de la Vega, Fr. Joſephus Ramos, & Fr. Joſephus de Ribera Angelopolitanæ Prov. Quorum omnium Nos perciti probatiſsimis ab eis expoſitis motivis, mirifica Religioſitate R. P. P. Gen. F. Joannis â Cruce, peculiari ipſius ſcientia, quam ſatis rebóant egregia ipſius opera, vel quæ ê prelo jam in lucem prodeunt, vel quæ ſub eo inſudant, utilitateque, & modeſtia inſimul Religioſa cæterorum P. P. Rmum. P. N. G. ab eo id aſſequi præſtolantes, humiles rogamus, ac petimus, his horum in hac Prov. incorporationibus, univerſali, benevoloque omnium noſtrorum conſenſu peroptatis; annuere.

His una injuncti alii, qui hanc noſtr. Provinciam inhabitant, utiet præcedentes, eodem ſtudio ad Nos confluunt, eamdem rem petentes. Sunt equidem P. F. Joſephus Cardenas Angelopolitanæ Prov. P. F. Antonius Quadra, & P. F. Michaël de Ortega Prov. S. Hippolyti Martyris de Oaxaca, F. Emmanuel Xerès, Clericus, Prov. Angelopolitanæ. De quorum filiationis poſtulatione, nil fuit â Nobis decretum, ſed N. Rmo. P. eam exponimus, ut quidquid ipſi placuerit, agat, ac præcipiat.

4. Neutiquam Nobis fas erit ad poſtulationes pro gradibus faciendas procedere, ni prius â Nobis precibus debitis effuſis N. Rmo P. circa id: ſanè cum R. adm. P. N. P. F. Raymundus Sequera ad Provinc. munus æquè jus arguat, ac ad Magiſterii gradum, paritèrque ad gradum ipſum, qui Deffinitores fuere in hoc Cap. R. P. P. F. Joannes Zevallos, & Villagutierre, ac R. P. P. F. Petrus Garrido; N. Rmo. P. petimus ſupplicitèr, ut eos ad utrumque aptos æſtimet, non obſtante gradibus Provinciali officio, ac Deffinitionis munere: cum utrique adſint idonei.

## POSTULATIONES.

ORdinationi obſecundantes Rmôrum P. P. N. N. M. M. G. G. F. Thomæ Tuçci, ac F. Thomæ Ripoll ne ſuſpicioni injuriæ pro locis ad gradus locus daretur; in meritorum, ut verita juſtitia, authentica omnium inſtrumenta ſpecularent, conſignavimus, R. adm. P. M. Sti. Officii Qualif. F. Nicolaum Montesdoca, ex natis in Indiis, R. que adm. P.

M. Sti. Officii Qualif. F. Didacum Maguete de Leon, ex natis in Hiſpania. Ordinationis quoque memores Eminentiſ. de Pipia, quondam M. G ei obedientiam præſtitimus de Conſilio R R. adm. P. P M. M. ad id ſpecialitèr congregatorum, loca graduandis iſthoc ordine reponentes.

## *PRO GRADIBUS FORSITAN VACATURIS.*
*[vel ſi N. Rmó. placuerit pro actu vacantibus.]*

## *PRO PRIMO MAGISTERIO TITULO LECT. natis in Hiſpania conveniente, fortaſſe vacaturo.*

EXponimus unicè, ac poſtulamus R P. P. F. Joannem Petrum Yriarte, & Laurnaga, qui poſtulandus jure eſt, non ſanè ſolùm, quia ex natis in Hiſpania unicus ad hunc gradum idoneus adſtat pro nunc (quamquam equidem plurimi apti aggregarentur, nullum judicamus ei fore præponendum) verumetiam, quia ipſius perilluſtria merita, id conclamant, ut ſpeculanda apponimus. Annis emiſsis, quibus ſtudio, diſcens in N. Pontif. Collegio de Porta-Cœli vacavit pervicax in Philoſophia, ac Theologia ſe exercens; harum facultatum curſu adimpleto; in hoc N. Imp. Cœnobio extitit per triennium Grammaticæ Lect. Quo in tempore, in publicis, ac privatis Diſputationibus, aſsiduè intra, ac extra noſtra clauſtra ingentiſsimis difficultatibus ſplenduit ab omnibus laudatus, ac celebratus. Pluries huic muneri incumbens, & Artium Cathedræ, & Studentium Mag. officio præfuit ſubſtituens, forte eo tempore ægrotantibus, & Studentium Magiſtro, & Philoſophiæ Lect. Deinde Philoſophiæ Lect. effectus, per 3. ann. eam benè, & proficuè edocendo ſe exercuit in eodem Imp. Cœnobio. A quo onere, ſuo tempore, abſoluto, Studentium Mag. muneri ſubiit ibidem, poſteaque in N. Pont. Colleg. de Porta-Cœli, ubi & Theologiæ Lector, ea noſtros imbuit fructuoſè; ut oſtendit ſatis in publicis Diſputationibus, quas Præſes habuit, præter frequentiſsimas privatas, quas perſæpe celebravit prædicto in Collegio, ac inde in hoc Imp Cœnob. ubi hactenus Theologiæ fuit Lect. in præſentiarumque Regens Primarius. Quibus notiſsimis geſtis id juſtitia offert adſcribi, utpotè non parvimomenti, quod, ſcilicèt, cum ipſius negotio, gloriæ avidus N. M. A. in ſui honorem Angelicam Militiam in hoc Imp Cœnobio Rmus N. de Bremond per litteras patentes fundari conceſſiſſet; negato huic rei Ordinarii loci aſſenſu, nulla Advocatorum ope, Doctiſsimis, & ſcriptis, & verbis allegationibus, etiam in judicio fecit, ut ad prædictam Militiam fundandam conſenſum præberet Ordinarium: ipſe manens celeber in litis deffinitionem, ita ut videretur ſolum juris fuiſſe Profeſſorem.

## *PRO PRIMO MAGISTERIO TITULO LECT. ad natos in Indiis ſpectante, forſitanque vacaturo.*

VAcantiam, ſi forte attigerit Magiſterium aliquod titulo Lect. ad natoſque in Indiis attinens, exponimus 1. pro eo, & poſtulamus R. P. P. Sti Officii Qualif. Fr. Antonium Caſtellanos, ex natis in Indiis, qui,

qui, & ex antiquioribus Prov. N. Præſentat. eſt, & ipſi jam ea in 2. Capitul. 1. locum præbuit pro hoc gradu, ac in altero 3. bonis illius meritis excitata, quæ latè patent in retrò actis 6 Capitulor. & quæ ipſum talitèr dignificarunt, ut hujus N. Imperialis Cœnobii, reſpectu eorum, fuerit in Priorem electus, biſque pro Romana, ac Hiſpania Curia Procurator Gener. & Gen. Cap. Deffinitor. Quo in munere ſemel ſe exercuit cum vitæ ſuæ imminente periculo in Prov. obſequium, & obedientiam, & mare permeans, & terræ iter longum agens ad uſque Romam, queiſque meruit â Rmo. N. M Gen. Vicarius fieri Gen. Miſsionis per ipſius litteras patentes. Ætatis illi ſunt anni 62. Habituſque 47.

2 Accedit 2. loco R. P. P. F. Antonius de Arratia, cujus præclara merita per 5. Deffin. approbata, expreſſa videnda ſunt in ante Actis Capitulor. præcedentium, in quorum tribus, locum conſtat ipſi expoſitum, in ultimoque poſtulatum 1. Queis modò meritis ſuperaddimus illud, quod, ſcilicèt, per quinquenium Regentis Secundi munus in hoc N. Imperiali Cœnob. ac Pontif. de Porta-Cœli Collegio fuerit exequtus. Ætatis, 4. ſupra 60. ann. enumerat, ab Habitu 48 â promotione ad Præſentaturam, 28.

3 Loco advenit poſtulandus R. P. P. F. Antonius de la Sierra, qui Præſentaturæ gradu eximiis bis meritis potitur, videlicèt: poſtquam in N. Pontif. Collegio S. P. N Dominici de Porta-Cœli Philoſophiæ, ac Theologiæ curſus explevit, ſex ann. expenſis, quibus ter publicas ſub Præſide diſputationes habuit; per 12. ann. in hoc Imperiali Conv. Lectionis muneri ſuccubuit, in unoquoque eorum publicas ſemel celebrans Præſes diſputationes, pro ipſis jure meritò celebratus ab omnibus: ubi itidem Primarii Regentis oneri ſubegit. Ætatis 54 habet ann. Habitus 39 â gradu collatione 13.

## *PRO SECUNDO MAGISTERIO TITULO LECT. ad natos in Indiis ſpectante, fortaſſeque vacaturo.*

EXponimus 1. ac poſtulamus R. P. P. F. Antonium de Arratia, 2. R. P. P. F. Antonium de la Sierra, 3. in uno, eodemque loco, è ſuggeſtu R. R. P. P. P. P. F. Joſephum Muñoz, & F. Antonium Viar, & Larrimbe Indianos natu. Quorum primi merita in retro actis notiſsima apparent, ipſi ætatis ſunt anni 53. Habitus 34. à Collata Præſentatura 12. Secundus vero hæc litteralia affert acta. Poſtquam in N. Pontif. Colleg. de Porta-Cœli Philoſophiæ per triennium, per idemque tempus Theologiæ, operam dediſſet, ſemel, ac bis Philoſophicas habens concluſiones, biſque Theologicas ſub Præſide. Inibi per tempus â Lege exactum earumdem facultatum vixit Lector 12 Philoſophiæ, treſque Theologiæ celebrans Diſputationes cum Diſcipulis. Quorum ex Religioſis 3. Lecturæ muneri vacant, ac ex Sæcularibus, tot ſunt pro Regia Univ. Baccalauri. Qua ipſius abſoluta Lect. Primarius Regens in hoc Imp. Cœnob. extitit menſibus quibuſdam, poſteaque SSmi. Rotarii Commiſſar. jam in hoc onere diu quondam verſatus in Pont. N. Colleg. præterquamquod plures â 300. conciones, quas intra, habuit, ac extra, etiam in magnis feſtivitatibus SS.

## *PRO VNICO MAGISTERIO TITVLO PRÆD. ad natos in Hiſpania attinente, & fortè vacaturo.*

EXponere, ac poſtulare eſt juſtitia nobis in primo loco R. adm P. N. P. P. Prov. F Raymuudum Sequera, cujus permagna merita, quamquam in ante Actis ſunt manifeſta, ea hic exprimere decrevimus, quia alia illis venjunt modo injungenda ab eo laudabilitèr perpetrata: cum ſane per multò plures Quadrageſimas, quam à Legibus noſtris præſcriptas in hac Mexicana Civitate continuò, univerſali Auditorum acceptatione, parique fructu multos prædicaſſet Sermones, his non obſtante frequentiſsimo. Confeſſarii munere, in quo hactenus creberrimè ſe exercet pervicax, innumeraſque alias aliarum feſtivitatum conciones, quas fecit, pro quibus Præd Gen. perindeque Præſentaturam promeruit, addens ſcientiam, addidit, & laborem, non ſolùm Prædicator perſeverans, verumetiam in aliis valdè proficuis, & huic Cœnobio Imperiali accuratè in ipſius ædificium curam operariorum habens, & N. Prov. in ejus Proc. Gen. ſedulò exercitatus, nil pro communi bono in laborando prætermittens. Quibus moti, queis competit, accidit, ut bona voluntate eum elegerint Priorem Conv. N. Stæ. Mariæ de Pietate ſtrictioris Obſervantiæ, ubi magna in Subditos charitate ſe ferens, eximiam effudit providentiam (ſeu potius illius iteravit exercitium, quod jam experti fuimus ipſe quondam Novitiorum Mag.) Inibi eo munere præditus, ab Illmô D. Archiepiſcopo Pro-Parochus conſtitutus, per biennium vigilantèr Paſtorali oneri ſubiit, & in omnibus diebus profeſtis conciones habuit ad populum, quibus magnam omnibus intulit Smi. Roſ. devotionem ipſius indefeſſus Præco.

2 Loco adſcribimus R P. P præſentis Cap. Deffin. F. Petrum Garrido, Hiſpanum natu. Cui ſanè neutiquam ad hujuſmodi gradum obvium eſt adverſum Deffinitor. munus; cum ad utrumque ipſius approbata merita eum juſtè evehant, ut examinanda lucent in retro Actis.

3 Poſtulamus R. P. P. G. Conv. Smæ. Virg. Mariæ de Pietate Prior, F. Alvarum Garcia Ambas, natum in Hiſpania, qui etſi Præd. Gen. exiſtat, jure tamen eſt poſtulandus, & propter ipſius Acta in præcedentibus legenda, & propterquod nullus eſt ſuæ nationis Præſentatus petendus.

## *PRO VNICO MAGISTERIO TITVLO PRÆD. ad natos in Indiis attinente, ſi fortè acciderit vacare.*

EXponimus 1. & poſtulamus Aſtreæ regulas inſectantes, R. P. P. præſ. Cap. Deffin. ac Conv. N. S. P. N. Dominici de Oaxtepec Prior, F. Joannem Zevallos, & Villagutierre, cujus excelſa merita pandere non nitimur; quia nec Famæ pennæ, ea ubicumque reboantis, ſatis planè produnt, ut præter innumeros Sermones, quos manuſcriptos ſervat, mirandos apponimus, typis datos.

2 Accidit loco R P. P. F. Emmanuel Zevallos, meritis, quæ in ante Actis ſunt nota.

3 R. P. P. Gen. F. Vincentium Votello. De cujus laboribus, ac litteralibus muneribus jam longè ab hinc annis in ante Actis, juſtitia ſervata, reddimus rationem.

# *PRO PRIMA PRÆSENTATURA TITULO Lect. ad natos in Indiis ſpectante.*

SI fortè, ut fas præſtolamur, N. Rmô. P. viſum fuerit, primam noſtram ſupplicationem exaudire, pro 1. Præſentatura, ex actu vaccantibus exponimus, ac poſtulamus 1. R. P. Ex-Lect. F. Antonium Mancilla, Indianum natu, cui præter ipſius perilluſtria merita, ei maximè favet, quod Rms. P. N. General. Nobis præcepit, ut tanti Viri haud eſſemus immemores in Cap. ſequenti, celebratum die 10. Maii, ann 1749. cui obtemperavimus in præcedenti Cap. ac rurſus obedientiam damus hujus geſta iterum exponentes ſequenti Ordine. Cum equidem ſuæ Lecturæ terminum ſatis laudabilitèr, ac ſuperabundantèr impoſuiſſet in Pontificio N. Collegio de Porta-Cœli, ubi eam totam exercuit; per quadriennium inibi Generalium Studiorum Regentis Primarii munus obtinuit: pervio ſanè audientium tam Fratrum, quam Secularium profectu; nam nullo pro ſtudiis promovendis, ac ut Scholaſticus vigeret ardor parcens labori, pro tam in ſomnis conatus fructu conſpicere adeptus eſt ex Diſcipulis, quos docuit, tres ex Fratribus, qui in eodem Collegio Lectores extiterunt, inibique Lecturam peregerunt, præter alios, animarum Cuſtodes, ac Miniſtros, ex Sæcularibus plures, pro Regia Univerſitate redimitos, ac honorificis, publicis decoratos muneribus. Ac in ſuæ Lecturæ decurſu, præter Capitulares Concluſiones, Theologiæ, ac Juris Canonici, quas problemmaticè pro Collegio ſubſtentans, defenſavit, ſepties publicis Philoſophicis Diſputationibus, atque quatuor Theologicis adfuit Præſes: undè ſi iis, aliæ in quibus Regens fuit, addantur, per viginti novem vices publicis jam Philoſophiæ, jam Theologiæ Scholaſticæ, jam Moralis, tum Juris Canonici Diſputationibus, in prædicto Collegio, totius Prov. principaliori Univerſitate, vel Præſes, vel Regens fuit. Ætatis 48. ab Habitus noſtri receptione 23 numerat ann.

Cum equidem inter omnes, quorum merita præmium avent, potiſsimè id geſta arripiant R. P. Ex-Lect. F. Franciſci Xaverii del Roſal, Actaque pari ratione, R. P. Ex-Lect. F. Petri de Herboſo, in 2 loco è ſuggeſtu utrumque pro Præſentaturæ gradu titulo Lectionis, & pro natis in Indiis, collocamus jure, & poſtulamus, egregiis his Nos juſtiſsimè meritis compulſi. R. ſiquidem P. Ex-Lect. F. Franciſcus Xaverius del Roſal: poſtquam ſtudioſiſsimè, ac laudabilitèr in noſtro Pontif Collegio de Porta-Cœli Philoſophiæ, ac Theol curſus metam pertigiſſet, per 12. ann in hoc Imp Cœnob. Lecturæ, oneri ſubiit: ea ipſi collata intuitu duarum vicium, in quibus publicas Diſputationes Philoſophiæ habuit ſub Præſide, quinque lectionum pro oppoſitione ad hujus Cathedram, atque duarum pro Cathedra Theologiæ, quam, & Philoſophiam edocuit magna cum curacitate, etiam tum per longum tempus oneroſum portans Novitiorum Magiſterium, quin etiam ante ſuæ Lecturæ exordium Grammaticæ per biennium fuit Lect. Lecturaque completa, quatuor ab hinc annis Regens Secundarius in Pont N. Collegio inhabitat, ætatis jam habens 43. ac Habitus noſtri 26. Inſimul eumdem locum promeretur, & ei poſtulamus, R. P. Ex-Lect. F Petrus Herboſo, de cujus celeberrimis meritis in ante Actis præcedentis Cap. mentionem non fecimus: propterea, quod merens V. coram Deffin. humilitate captus non comparuit: modo

vero

verò juſtitiæ expoſcente ratione, ea iſthoc ordine approbata recipimus. Cum
equidem prædictus R. P. Ex-Lect Philoſophia per triennium, Theologiaque
per quadriennium fuiſſet ſatis imbutus, laudando in utraque ſcientia peracu-
to ingenio, ac dexteritate mirifica, queis, quis ipſe futurus eſſet, à primordiis
edidit præclarum ſpecimen, ſe exercens; præter privatas, aſsiduaſque, & com-
munes Diſputationes ab omnibus in prædicto Collegio de more, & jure ha-
bitas: publicas habuit ſub Præſide, Philoſophus adſtans, concluſiones, in qui-
bus affabrè totam Logicam, ceu Magiſter, propugnavit, atque poſt has, alias,
in quibus pari habilitate totam Philoſophiam inibi publicè, etiam defendit,
maximo omnium meritò in utriſque plauſu, ſicuti, & cum quaſdam, ſimul
publicas Theologicas, quas, paucis ab eis diebus celebravit, duaſque lectio-
nes, quas pro oppoſitione ad Cathedras Philoſophiæ fecit, per exiguum tan-
tummodo 24. horarum tempus diſpoſitus, ad per horam unam integram,
Philoſophi, ac A. N. M. litteram explanandam, quod, & fecit aptiſsimè, ac
ornatiſsimè, adeoque perfectè, ut protinus 2 audita lectione ab eo concinnè
congeſta, jure ad Philoſophiæ Cathedram in eodem Collegio poſsidendam
per electionem, nullo abſente ei voto, fuerit promotus, ac aſſumptus. Quam
ità ſedulo, eaque integritate per tres annos continuos pervigil habuit, nullo
ab executione eum retrahente labore, nec etiam ægritudinibus, eum quan-
doque inflectentibus, ut celebrare Præſes contigerit, præter privatas, ac aſſue-
tas, undecim publicas Philoſophicas Diſputationes, ipſiuſque pervicaci ſtudio,
curacitate, ac doctrina. Diſcipulos egeſſerit, ita habiles, ut ex illis quatuor in
hac Provincia ex Religioſis fuerint Lecturæ munere decorati, ac ex his modò
tres Mexici Theologia edocent, quartuſque eamdem in Conv. Sanctæ Roſæ
de Sombrerete, præter alios alitèr, Religioſè huic Noſt. Provinc. deſer-
vientes, tam in prædicando, quam in Confeſsionibus audiendis. Ex Sæculari-
bus itidem Diſcipulis, quorum quatuor pro hac Regia Univerſitate Bacca-
lauri adſant, & quidam Clerici Sæculares Parochiali officio potiuntur, &
quidam Medici examinati, ac approbati in hac Urbe extant. Hi ſunt ipſius
boni fructus dum Philoſophiam perlegit: qua completa, ipſius ſalutis diſpen-
dio, indefeſſus ad Theologiæ Lecturam tranſvectus magno ipſius ſtudii, in-
cremento per tempus totum à Legibus præſcriptum in prædicto Collegio
nulla prætermiſſa Cathedra edocuit (ni duobus demptis annis, pauciſque
diebus in eadem Theologiæ Lectura impenſis in hoc Imper. Cœnobio) quo
tempore in prædicto Collegio extra Conſuetas, privatas Diſputationes, quas
ſapientiſsimè ſemper habuit, quibuſdam ſemel publicis Theologicis univer-
ſali omnium acceptatione præfuit, aliiſque ejuſdem facultatis Excmo. Dño
Pro-Regi dicatis in Capitulo ſubiit problemmaticè propugnandis in hoc Im-
periali Cœnobio. Qua æquè, ſervatiſque ſervandis, abſoluta Lectura; Gram-
maticam inibi prope duos annos docere curavit, poſtmodumque Regens Se-
cundarius immoratur ibidem. Quin etiam præ ipſius Lecturæ exordio unde-
cim Menſibus in prælato Collegio de Porta-Cœli Studentium Magiſter ad-
fuit, Theologia Morali noſtros erudiens ſummo eorum omnium profectu.
Undè ab hoc honore poſeſſo, uſque modo 13. annos in legendo enumerat
(nec quieſcit) ab ipſius nativitate 37. ab Habitu noſtro 21.

3. Loco offertur poſtulandus R. P. Ex-Lect. pro Regia Univerſitate
Theologus Doct. F. Joſephus Morales, ex natis in Indiis, cujus Acta in præ-

ceden-

cedentibus ſunt expoſita, ipſiſque ſuperaddimus ingentiſsimum, quem nunc affert laborem in Smi Roſarii prædicationem longum iter agens pro eo, magnoque zelo, & noſtræ Religionis amplitudinis ſtudio fundandi ſatagens Nobis Conventum, vel ſi fieri poſsit Conventus.

## PRO SECUNDA PRÆSENTATURA TITULO *Lect. pro natis etiam in Indiis.*

